

mendos. Quid si vero altius ascendamus, & in gloriam veritatis, etiam dissentientes perstringentis & convincentis, ostendamus, multos ex Reformatis longius paulo fuisse progressos, ac verbis suis multo plura, & tantum non omnia, ecclesiae nostrae concessisse? Speciminis causa sunto, quae B. CALOVIVS in dedicatione libri de Persona Christi lit. C. 3. sq. ex scriptis ipsorum excerpta, oculis legentium stitit, ubi apparet, quod praeter illa, in quibus consensum reponit Allocutor, etiam non pauci, ut SOHNIVS, MACKOVIVS, POLANVS, BERGIVS, concederint,

1. Λόγον μυστικόν esse sine carne, sed naturam assumtam habere ubique praesentem.

2. Communicationem naturarum esse realem ac veram, & humanam naturam esse Θεοθεσίαν.

3. Proprietates divinas humanae Christi naturae vere ac realiter esse communicatas, & hanc non tantum humana & finita, sed etiam illa infinita, aeterna & deitatis propria gloria fulgere.

4. Communicatam esse Christo secundum H. N. omnipotentiam, ita, ut ea facta sit παντοδύναμη & vere ac realiter omnipotens.

5. Communicatam esse Christo homini omniscientiam, vim vivificandi, & ipsam omnipraesentiam, & Christum rebus omnibus adesse secundum utramque naturam.

6. Ab adoratione Deitatis, non esse carnem separandam, quia adorabilitas ipsi realiter communicata, adeoque Christum objectum cultus esse, secundum utramque naturam, & Carnem adorandam esse, una eademque adoratione.

7. Humanitatem non tantum agere propria & finita, sed & communicata, infinita virtute. Quae & alia ex scriptis eorum in medium ibi allata leguntur, ac consensum in punctis controversis multo accuratiorem sistunt.

§. V. Enimvero si res ita se habet, quid impedit, quo minus ruamus in fratnos amplexus, & omnem controversiam seponamus, & hac unitate confessionis in sinu gaudeamus?

Quod